INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XXVIII M. APRILIS AD D. XV M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXVI

1886

HABEBVNTVR.

J. Vahlen

Disputatio horatiana. De repetitis versibus

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).
1886.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE

FRIDERICAE GVILELMAE

RECTOR ET SENATVS.

De versibus nonnullis Horatianis disputaturi non nova divinandi periculo reperta afferre animus est, sed hoc agimus ut pauca quae M. Hauptii Horatio quartum edito a. MDCCCLXXXI praeter Hauptii mentem adornata sunt argumentando stabiliamus aut a crimine temeritatis liberemus. Incipimus autem a re admodum levidensi.

I. In extremo carmine sexto libri primi Horatius haec ait de se

nos convivia, nos proelia virginum
sectis in iuvenes unguibus acrium
cantamus, vacui sive quid urimur,
non praeter solitum leves.

Quae vulgo sic interpretantur, Horatium levitatis notione ad utramque quam ponat condicionem relata sive vacuus sit amore sive quid uratur consueto more se levem esse dicere. In qua re quod *sive* particula semel posita est quam bis poni sententia iubebat, notum est poetas ita solere, velut Catullus c. 4, 19 *laeva sive dextera vocaret aura*, Horatius C. 1, 3, 16 *tollere seu ponere volt freta*, alii. Sed sententia, quae hoc explicandi modo oritur, non omni ex parte placet: etsi enim leve genus carminum est quod a se coli dicit Horatius, non satis causae intelligitur, cur levitatem etiam ad animum amore vacuum pertinere velit aut adeo se levitatis accuset, ut eam numquam a se, sive quid amet sive nihil, alienam esse fateatur. Patet autem altera interpretandi via, qua sensum decentiorem assequi videmur. Dicit enim Horatius 'nos convivia, nos proelia virginum cantamus, vacui, vel si quid tamen urimur, non insolenti modo leves.' Ita cum haec tantum

inter se iungantur *si quid urimur non praeter solitum leves* h. e., ut iam intelligi oportet, 'non ultra modum leves', et orationi venustas quae desiderabatur reddita esse et vere sensus indicari videtur quo Horatius carmina amatoria fundere soleat, ut quae se dicat vacuum amore plerumque vel si non vacuum certe non nimis amoris levitate irretitum componere. Quod si recte statuitur, paulo fortasse accommodatius ad mentem poetae versus undevigesimus ita distinguetur *cantamus vacui, sive quid urimur.* Usum autem *sive* particulae quem volumus saepius apud Horatium offendas, velut, ut pauca seligamus, C. 1, 15, 25

urguent impavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens
pugnae, sive opus est imperitare equis,
non auriga piger.

C. 1, 32, 7

age dic Latinum,
barbite, carmen,
Lesbio primum modulate civi,
qui ferox bello tamen inter arma,
sive iactatam religarat udo
litore navim,
Liberum et musas Veneremque .. canebat.

C. 3, 27, 61

vilis Europe, pater urguet absens,
quid mori cessas? potes hac ab orno
pendulum zona bene te secuta e-
lidere collum,
sive te rupes et acuta leto
saxa delectant, age te procellae
crede veloci; nisi erile mavis
carpere pensum.

Quae plerumque non satis recte interpungi solent: etenim duae condiciones moriendi proponuntur, 'potes hac ab orno pendulum zona collum elidere, vel si te rupes et acuta saxa delectant, procellae te crede; nisi vitam servilem morti praeferendam ducis.' Epod. 17, 38

iussas cum fide poenas luam,
paratus expiare, seu poposceris
centum iuvencos, sive mendaci lyra
voles sonari 'tu pudica, tu proba',
perambulabis astra sidus aureum.

Sic distinximus, quae seorsum ab aliis interpretamur 'paratus expiare, si vel centum iuvencos poposceris, vel si mendaci lyra voles sonari "tu pudica, tu proba",

perambulabis astra sidus aureum.' Nam non eadem utrobique vis est particulae *seu* vel *sive*, sed posteriore loco (39) alteram adnectit condicionem, priore autem (38) exaggerationi inservit, ad eum modum quo Tibullus scribit 1, 6, 21

exibit quam saepe, time, seu visere dicet
sacra bonae maribus non adeunda deae.

Quae fuerunt qui prave intelligerent, dicit autem hoc 'quotiens exibit time, vel tum si sacra bonae deae se dicet visere, quae maribus adeunda non sunt.' Idem in alteram rationem particula utitur 2, 4, 43

quin tua tum iuvenes spectent incendia laeti,
nec quisquam flammae sedulus addat aquam;
seu veniet tibi mors, nec erit qui lugeat ullus,
nec qui det maestas munus in exequias.

h. e. 'incendia spectent laeti, vel si tibi mors veniet, nemo sit qui lugeat.' Simile genus in Propertii elegiis Lachmannus perstrinxit p. 102; neque secus Seneca in Hercule Oetaeo 1653

arcus poposcit. accipe haec, inquit, sate
Poeante dona et munus Alcidae cape.
has hydra sensit, his iacent Stymphalides
et quidquid aliud eminus vici malum.
victrice felix iuvenis, has numquam irritas
mittes in hostem, sive de media voles
auferre volucres nube, descendent aves.

In quibus versibus quidquid statuitur de verbis *victrice felix* (1652) quibus Fr. Leo crucem appinxit, nobis non inepte Philoctetes qui Paridem sagitta occidit *victrice* (*sagitta*) *felix iuvenis* appellari videtur, et miris modis his versibus et proximis *arcus*, utroque numero (1656), et *sagittae*, denique *pharetrae* (1720. 22) inter se miscentur, sed quidquid de illis verbis iudicatur, *sive* (1653) h. e. *vel si* non est quod aut mutetur aut alterum *sive* desideretur.

Ad Horatii carmen unde exorsi sumus revertimur; cuius paenultimam stropham

quis Martem tunica tectum adamantina
digne scripserit, aut pulvere Troico
nigrum Merionen, aut ope Palladis
Tydiden superis parem?

Peerlcampo adsentiens Hauptius secluserat ut spuriam, nos Buecheleri et Kiesslingii vv. cc. iudiciis obsecuti interpolationis indicio liberavimus; sed in interpretando ab illorum etiam inter se dissidentium sententia paululum discedimus. Quorum Kiesslingius (*Philol. Untersuchung.* p. 97) quod his verbis legentem revocari ad Varium initio carminis laudatum putavit, ut largiamur id huic loco consentaneum fuisse, hac interrogationis forma, quippe quae vim habeat negativam, id fieri non potuit:

eoque nomine Buechelerus (Coniectan. a. MDCCCLXXVIII p. 18) melius et orationi satis fecit, cum ad illam interrogationem hoc responderi par fuisse scribit 'nemo haec digne scripserit, ne Homerus quidem optimus heroici carminis auctor, nedum Varius etsi *forte epos acer ut nemo ducit*, minime ego qui ne Vario quidem aemulari possim', et sensui, si quidem summa sententia inest in eo quod tertio loco ponit. At ipse paene plus tribuere Homeri vituperationi videtur, ut Horatius Διομήδους ἀριστείαν ne sibi quidem ab omni parte probari exemplis inde petitis et suo modo ornatis significet. Verum Horatius neque Homerum aut illam ῥαψῳδίαν reprehendere neque de Varii laudibus detrahere voluit, quod utrumque ab huius carminis consilio abhorret, sed quoniam se nolle dixit Caesaris et Agrippae laudes culpa ingenii deterere, hanc sui tenuitatem ingenii fortius confirmat utpote imparem talibus memorandis rebus bellicis quales nota et ob hanc rem solam deprompta Homerica exempla repraesentant. Ergo plus dixit verbis quam cogitando intelligi voluit: quippe universe cum interrogat 'quis digne scripserit' hoc sentit 'qui digne scripserim ego'; neque enim corrigendo nos hanc sententiam reddi verbis iubemus, verum sic putamus, universa negatione quae est in illo interrogandi modo gravius etiam hoc, quod de se uno Horatius valere voluit, denegari.*) Vergilius cum scribit ecl. 10

pauca meo Gallo sed quae legat ipsa Lycoris
carmina sunt dicenda: neget quis carmina Gallo?

severius aestimanti plus affirmare videbitur quam praestare potuit; et Antigona Polynici vetanti μή τοί μ' ὀδύρου respondens καὶ τίς ἄν σ' ὁρμώμενον ἐς προῦπτον Ἅιδην οὐ καταστένοι, κάσι; hoc quod sentiebat se non posse non deplorare fratrem, isto modo gravius sibi visa est exprimere. Tibullus quoque cum dicit (2, 3)

Rura meam Cornute tenent villaeque puellam:
ferreus est, heu heu, quisquis in urbe manet,

in oratione si recte intelligimus plus est quam in sententia, etiamsi non premas *quisquis* pronomen, quod saepe abit in vim simplicis relativi, velut apud Horatium C. 3, 24, 25, ubi non recte iudicat Bentleius immemor eorum quae C. 4, 2, 1 leguntur. Quidni igitur Horatio concedimus, in sententia haud obscura ad carmi-

---

*) Vis interrogationis dispicitur etiam ex his quae Vergilius Aeneam facit dicentem (2, 361)

quis cladem illius noctis, quis funera fando
explicet aut possit lacrimis aequare labores?

aut quae illum imitatus Silius Italicus scribit (5, 420)

quis deus, o musae, paribus tot funera verbis
evolvat, tantisque umbris in carmine digna
quis lamenta ferat?

qui hoc modo se posse quod posse cupiunt abnegant.

nis consilium referenti, exaggerando ut nonnihil orationem extollat; et quam longe quae dicit *quis digne scripserit* distant ab iis quae in similem sententiam in satira libri secundi prima posuit

cupidum, pater optime, vires
deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos
aut labentis equo describit volnera Parthi.

II. I. Bekkerus in schedis Homericis (1, 204) scite observavit in oratione qualis haec est Homerica

πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην
ὃς περὶ μὲν νόον ἐστὶ βροτῶν, περὶ δ' ἱρὰ θεοῖσιν
ἀθανάτοισιν ἔδωκε, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν;

satis inepte interrogationem signari ubi esse interrogationem iam paene exciderit legenti; neque utilius apud Vergilium in georgicis (1, 104) cum interrogativi nihil sit in oratione praeterquam *quid dicam* (104) notam istam sex septem versibus interiectis (110) ad parenthesin applicari. Similia in Horatii carminibus occurrunt et attente legentem impedire possunt; velut C. 2, 7

O saepe mecum tempus in ultimum
deducte Bruto militiae duce,
quis te redonavit Quiritem
dis patriis Italoque caelo,

Pompei, meorum prime sodalium,
cum quo morantem saepe diem mero
fregi coronatus nitentes
malobathro Syrio capillos

variant editores et nonnulli, in quibus Meinekius et Hauptius, post *sodalium* v. 5 interrogandi indicium fecerunt distinguentes quae intime connexa sunt, *meorum prime sodalium, cum quo saepe diem fregi,* alii in extrema oratione (post *capillos*), quae iam nihil habet interrogationis: nos neutro loco interrogationem satis indicante pronomine (v. 3) notandam duximus. Similia sunt C. 4, 14, 1—6, ubi notam ad vocativum adiectam melius afore sentimus. C. 2, 12 vulgo sic interpungitur,

num tu quae tenuit dives Achaemenes
aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
permutare velis crine Licymniae,
plenas aut Arabum domos?

dum flagrantia detorquet ad oscula
cervicem, aut facili saevitia negat
quae, poscente, magis gaudeat eripi,
interdum rapere occupat.

Sed invita sententia partes duae orationis unius hac distinctione separantur. Quam cum tolleremus, noluimus tamen eandem extremae alteri orationi adhibere, quae pars est interrogationis, ipsa notam non fert nisi cum incommodo sententiae subtili arte compositae. In simili conformatione quae est C. 1, 29 extr. nemo mediam partem orationis notavit, notarunt extremam; idque ibi facilius ferri potest. Sed C. 3, 24, 33

quid tristes querimoniae,
si non supplicio culpa reciditur,
quid leges sine moribus
vanae proficiunt, si neque fervidis
pars inclusa caloribus
mundi nec boreae finitimum latus
durataeque solo nives
mercatorem abigunt, horrida callidi
vincunt aequora navitae,
magnum pauperies opprobrium iubet
quidvis et facere et pati,
virtutisque viam deserit arduae?

ut mittamus eos qui iam in *reciditur* (v. 34), hoc est in imperfecta oratione, interrogationem indicant, quis ferat hanc interrogationem notatam, cuius pars maior interrogatio non est? Et omittunt plerique in simili causa indicium C. 1, 12

quem deum? cuius recinet iocosa
nomen imago
aut in umbrosis Heliconis oris,
aut super Pindo, gelidove in Haemo,
unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae
arte materna rapidos morantem
fluminum lapsus celeresque ventos,
blandum et auritas fidibus canoris
ducere quercus

quoniam quae *Haemi* (v. 6) illustrandi causa adduntur, ab interrogatione aliena sunt, neque tamen ita ab *Haemo* seiungi possunt, ut, quod Meinekius instituit, huic nomini notam affingere liceat. Reditque eadem dubitatio in proximis,

quid prius dicam solitis parentis
laudibus, qui res hominum ac deorum,
qui mare ac terras variisque mundum
temperat horis,
unde nil maius generatur ipso
nec viget quicquam simile aut secundum:

proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

Sic nos edidimus: editores dissident, nonnulli *laudibus* (v. 14), alii *horis* (v. 16), quidam *secundum* (v. 18) nota interrogativa ornant; sed qui sententiarum cursum curiosius perspexerit, intelliget, nullum horum locum graviorem istam distinctionem sine detrimento recipere. Sint haec satis speciminis loco, ne persequendis minutiis quae tamen interdum nonnihil utilitatis habent taedium legentibus si qui erunt afferamus. Unum addimus ex altero genere: in iambo primo orationem politissimam ita interpungendam curavimus,

quid nos, quibus te vita si superstite
iucunda, si contra, gravis,
utrumne iussi persequemur otium,
non dulce, ni tecum simul,
an hunc laborem mente laturi decet
qua ferre non mollis viros?
feremus, et te vel per Alpium iuga .. sequemur.

et putamus hoc poetae sensui convenientius esse, quam quod ante vulgabatur, *quid nos? quibus te vita si superstite iucunda, si contra, gravis. utrumne iussi* cet. Orationem, ut hoc addamus, sic expediendam censemus 'utrum otium persequemur, an hunc laborem laturi (sumus) mente qua decet (laborem) ferre non molles viros.' Sic enim demum recte responsum *feremus* ad hanc partem interrogationis relatum subiicitur; neque *laturi* non addito *sumus* verbo vicem verbi finiti gerere dubitabimus: nam quod in *est* et *sunt* saepe cadere notum est, idem a *sum* et *sumus* non alienum esse exempla probant, neque solum Ennius scripsit *vidi videre quod me passa aegerrume* aut Plautus *nunc quid facturus dicam*, sed etiam Vergilius *postquam introgressi et coram data copia fandi, munera praeferimus*, et Horatius *felicem dicere non hoc me possim, casu quod te sortitus amicum.*

III. In epistola decima libri primi Horatius fabulam Stesichoream de equo et cervo ab Aristotele in rhetoricis 2, 20 relatam lepidissime narravit: ibi haec vulgo leguntur.

cervus equum pugna melior communibus herbis
pellebat, donec minor in certamine longo
imploravit opes hominis frenumque recepit.
sed postquam victor violens discessit ab hoste,
non equitem dorso, non frenum depulit ore.
sic qui pauperiem veritus potiore metallis
libertate caret, dominum vehit improbus atque
serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.

In versu tricesimo septimo qui primus offendit Bentleius epitheton ad *victorem* in hac oratione multis frequentata praeter consuetudinem adiectum vituperavit: re-

posito *victo* pro *victore* non minus usitatam dicendi rationem assecutus est, *victo violens discessit ab hoste.* Verum ne hac quidem acquievit, quin epitheton ipsum coniectura temptaret: 'cur enim' inquit 'equus hic *violens* appelletur, qui et per se impar erat cervo et nulla demum sua sed vehentis equitis virtute victoriam adeptus est.' Quae scribenda proposuit, *postquam victo sonipes discessit ab hoste,* aut inducente quodam vetusto Horatii exemplari *postquam domito victor discessit ab hoste*, nec ipsi satis fecerunt et ab ea versus forma, quam consentiens fides librorum tuetur, longius discedunt. Bentleium excepit Hauptius, qui in summa re illi adstipulatus admirabili qua pollebat emendandi virtute cum paene una littera leviter detorta ex *victorviolens* efficeret *victoridens* restituit quod legenti non potest non arridere, *postquam victo ridens discessit ab hoste*, simul hoc exemplo usus ut in Horatii codicibus, in quibus nihil ad quadratam scripturam redire videretur, ex minutis litteris nonnumquam errorum causas et correctiones peti posse edoceret (opp. 3, 46). Hanc scripturam Hauptius, qui initio *victo violens* posuerat auctore Bentleio, cum iterum et tertium Horatii carmina recognosceret recipiendam duxit eamque Meinekius, qui et *victo* scribit et *violens* depravatum esse apposita nota significat, memorando commendavit. Quos viros in his litteris primarios quamvis suspicere iudicioque eorum plurimum tribuere soleamus, tamen Hauptii libello quartum edito relicta coniectura versus formam ante vulgatam restituimus, non quo illam improbaremus sed quia hanc opinabamur a Bentleio Hauptioque non esse iustis rationibus repudiatam. Etenim Bentleius cum hunc dicendi usum negaret additum ad *victoris* nomen epitheton recipere, non curavit alio modo orationem evolventi hoc incommodum evitari: nempe non *victorem violentem* appellavit Horatius, sed hoc dicit 'postquam equus victor h. e. victoria reportata (νικήσας) violens sive violenti animo ab hoste discessit.' Quo modo cum alii tum Horatius ipse non raro orationem formavit, ut in ambiguitate legentium iudicium exspectaret. Qui cum scribit Sat. 2, 3, 225 *vincet enim stultos ratio insanire nepotes*, non *stultos nepotes* coniungi sed hoc intelligi voluit 'evincet ratio nepotes utpote stultos insanire', aut C. 3, 20, 3 *dura post paulo fugies inaudax proelia raptor*, non *inaudacem raptorem* sed hoc potius dicit 'tu raptor (h. e. qui rapuisti) paullo post fugies inaudax.' Quo genere loquendi adhibito etiam illa, quae sunt in C. 3, 6

21 motus doceri gaudet Ionicos
matura virgo et fingitur artibus
iam nunc et incestos amores
de tenero meditatur ungui:
mox iuniores quaerit adulteros
inter mariti vina,

ad probabilem ni fallimur sententiam revocantur: *maturam virginem* h. e. nubilem interpretantur; quo facto exsistunt difficultates, in quibus expediendis interpretes frustra se torquent. Sed Horatius voluit 'matura gaudet virgo motus Ionicos edo-

ceri.' Qui si *mature* scripsisset h. e. maturo tempore, nemo haec vituperaret, sed *matura* et metro flagitabatur et erat latinius, neque verendum erat ne ambiguitas oreretur ex positu in simplici sententia quam universa oratio haud obscure declarabat.*) Ad hunc modum cum *violens* a *victore* segregamus, non est quod *victo* praeferatur, immo non inconsulto equus qui ante *minor* erat in longo certamine nunc *victor* (sive superior) *ab hoste* potius quam *victo ab hoste* dici videatur discessisse. Quod si *victor* retinetur, bona pars probabilitatis, qua Hauptii coniectura nitebat, periit, et ut verum fateamur, quamvis speciosa sit ista emendatio et auctore suo digna, tamen non ita veri simile est, ex (*victo*) *ridens* per errorem natum esse (*victor*) *violens*, quae est vox inusitata et rara. Itaque hoc agendum est impensius ut epitheton ipsum a suspicione falsi vindicemus. Ac Bentleius quod negat apte equum *violentem* appellari 'qui et per se impar fuerit cervo et nulla sua sed vehentis equitis virtute victoriam adeptus sit', quamquam Hauptius hoc a Bentleio verissime dici affirmat, tamen erunt fortasse quibus hoc ipsum quod equus quo diu inferior erat hostem quamvis ope aliena tandem devicit idonea causa esse videatur, cur violens discessisse ab hoste dicatur. Ut enim apud Persium in satira quinta cum Chaerestratus professus se velle meretricem amatam relinquere quaerat *sed censen plorabit, Dave, relicta?* servus intelligens iuvenem etiam haerere in amoris laqueis respondet

'nugaris, solea puer obiurgabere rubra,
ne trepidare velis atque artos rodere casses
nunc ferus et violens, at si vocet "haud mora" dicas',

ita equus in fabula recte violens appellatur et ferox domito hoste, cum simul hoc pretio iugum servile perpetuum receperit. Quae non aliter inter se opponuntur quam apud Persium qui nunc ferus est et violens mox dominae imperanti obnoxius erit. Ac licet equus postquam malum diuturno adversario intulit *ridens* dici nimirum potuerit, tamen haec violentis equi ob devictum hostem superbia magis etiam coniuncta esse cum ea sententia videtur quam adhibita fabula Horatius declarare voluit. Ut verendum sit ne divinandi arte, ut fit, ea quae proba sunt deteriora reddamus ultro.

IV. In satira tertia libri secundi haec edidit Meinekius.

'quisnam igitur sanus?' qui non stultus. 'quid avarus?'
stultus et insanus. 'quid, si quis non sit avarus,
continuo sanus?' minime. 'cur, stoice?' dicam.
'non est cardiacus' Craterum dixisse putato
'hic aeger.' recte est igitur surgetque? negabit.
non est periurus neque sordidus: immolet aequis

*) Kiesslingii rationes *de tenero ungui* non de tempore sed de penitissimo studio accipientis universa sententia quae certissima temporis notatione continetur non adiuvat.

hic porcum laribus: verum ambitiosus et audax:
naviget Anticyram.

Quae dum singillatim persequimur, mancam esse aliqua parte disputationem sentimus. Negavit stoicus eum qui non esset avarus sanum esse (160); interroganti causam respondet per exemplum a medico et morbis corporis repetitum: hic aeger non est cardiacus: estne igitur sanus? negabit medicus. Sed iam, ne recurrat illud 'cur, stoice?' et exemplum inutile fuisse appareat, rationem addi exspectamus cur neget: 'quia alio quo morbo laborat.' Nam hoc voluisse poetam res ipsa declarat utiturque tamquam demonstrato in proximis (164) 'non est periurus neque sordidus: immolet aequis hic porcum laribus: verum ambitiosus.' Si vero hoc, quod desiderari dicimus et quod summum est in hac ratiocinatione, ultro legentem addere potuisse obiicias, simul fateare necesse est, vanas fuisse has ambages quibus Horatius simplicem sententiam ornavit ita ut ex sermocinantium vice et exemplis aliquid leporis quaereret ac venustatis. Quorsum enim ista, si tamen id quod caput rei erat legentis cogitationi relinquitur? Tam inconsultum consilium quoniam credibile non est iniisse poetam qui nil molitur inepte, recurrimus ad fidem librorum, qui istam orationem uno versu auctam exhibent.

'quid, siquis non sit avarus,
continuo sanus?' minime. 'cur, stoice?' dicam.
'non est cardiacus' Craterum dixisse putato
'hic aeger.' recte est igitur surgetque? negabit,
— quod latus aut renes morbo temptentur acuto.

Quae praeclara sunt et Horatium vel maxime decent. Sed versum qui mutilae orationi integritatem restituit, quamquam tam firmiter in sermonis tenore haeret, vix ut avelli posse videatur, tamen ferendum esse negant, quia idem paululum mutatus legitur in epistola 1, 6, 28

si latus aut renes morbo temptantur acuto,
quaere fugam morbi.

Quo loco cum abesse non possit, ne Horatius bis in eandem orationem incurrisse cum pudore videatur, ex satira eximendum instant Hauptius primum, dein Meinekius aliique. Nos, si non Horatius addito versu sensum absolvit sed nescio quis quo mancam disputationem suppleret aliunde petitum inseruit, laudabimus hunc interpolatorem, qui Horatii stilum non leviter adiuvisse censendus est. Interim quod tam egregie orationi accommodatur ab ipso esse poeta profectum credemus.

In epistola libri primi duodevicesima idem exemplar Meinekianum haec praebet.

tu, dum tua navis in alto est,
hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
oderunt hilarem tristes tristemque iocosi,

90 sedatum celeres, agilem gnavumque remissi,
potores porrecta negantem pocula, quamvis
93 nocturnos iures te formidare tepores.
deme supercilio nubem; plerumque modestus
95 occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.

In his quoque, nisi nos sensus decipit, ad sententiam quidem nihil, multum ad orationem desideratur. Cum enim *potores* appellentur etiam cum non bibunt (velut ep. 1, 19, 3), sententia poterat illa quidem quam brevissime et ut ad superiorum formam accederet hoc modo efferri 'potores (oderunt) severum (vel sobrium) et contra.' Sed cum Horatius dicat non sobrium vel severum sed porrecta negantem pocula et is causam cur neget addat affirmans nocturnos se formidare tepores, certam condicionem cogitare qua quis porrectum poculum repudiet et quasi quandam scenam depingere videtur, cum alteri potare cupiunt, hic vero se neget partem capturum causam quae dehortetur professus. Hoc autem consilium poetae ex illis verbis si recte colligimus, mirum est Horatium, cum *potores* nude appellaret nulla temporis aut condicionis nota adiecta, lepidam quam inchoavit imaginem imperfectam destituisse. Desiderio nostro abunde satis fit versu recepto quem libri testantur.

oderunt hilarem tristes tristemque iocosi,
90 sedatum celeres, agilem gnavumque remissi,
— potores bibuli media de nocte Falerni
oderunt porrecta negantem pocula, quamvis
93 nocturnos iures te formidare tepores.

In verbis additis nihil est quod iure reprehendatur. Nam Bentleius, qui suspicionem quidem movit de origine versus 91 in nonnullis libris omissi, sed tamen emendando ei succurrere maluit, nimis inique singula interpretatur, cum vituperat *potores bibuli*, quasi dicas *potores potantes*: at Horatius non *potores bibulos* sed *potores bibulos Falerni* appellavit h. e. potores qui bibunt vel bibere cupiunt vinum Falernum, quo nihil est aptius; aut *potores media de nocte bibulos*, quo haec inepta esse evincat, siccos ac sobrios esse affirmat aut maxime negotiosos, quippe qui non solido de die sed de media nocte potare incipiant: at Horatius convivas significat qui *πότου προϊόντος* circa mediam noctem meliorem notam bibere instituunt. Quare quae restitui iussit *potores liquidi media de luce Falerni*, ex versu sumpta qui ep. 1, 14, 34 legitur, *quem bibulum liquidi media de luce Falerni* (scis fuisse), non est quod dedita opera exagitemus. At Meinekius illa verba non corrigenda sed delenda esse iudicavit; itaque iam cum primum edidit Horatium a. MDCCCXXXV inductis mediis unum ex duobus versum effecit hoc modo

91 potores [bibuli media de nocte Falerni
oderunt] porrecta negantem pocula, quamvis
93 nocturnos iures te formidare tepores;

et hoc ille consultius instituit, quam qui integro versu 91, quia a parte librorum abest, omisso constare posse orationem sibi persuaserunt:

oderunt hilarem tristes tristemque iocosi,
90 sedatum celeres, agilem gnavumque remissi,
92 oderunt porrecta negantem pocula, quamvis —

Etsi enim ex *porrectis poculis* aliquo modo effici possit quem osorem dicat poeta, tamen in hoc sententiarum decursu hoc satis non erat, neque quod in aliquot codicibus v. 91 non exstat nisi ad librarii errorem redire videtur simili duorum versuum continuorum initio (*potores* — *oderunt*) decepti. Sed Meinekius iterum edito Horatio quo magis pristinam suam opinionem stabiliret haec adnotavit (in praefatione p. XXXVIII) '*oderunt* post paucos versus nulla cum vi repetitum non magis placere potest quam operosa simplicis sententiae amplificatio.' Quae facile redarguuntur, ut mirere talia a tanto viro argumenti loco afferri potuisse. Nam cum 'operosam simplicis sententiae amplificationem' iactat, non vidit illud, mira aequabilitate hanc orationem uitere qua potores bibuli de media nocte Falerni et ex altera parte is qui porrecta pocula neget iuratus se nocturnos tepores formidare quasi unius actionis participes componuntur; *oderunt* autem verbum aptius erat in ampliore huius exempli conformatione repeti, ac solet Horatius etiam sine vi ulla bis ponere verba in comparibus enuntiatis, velut ut pauca afferamus Sat. 1, 7, 23

laudat Brutum laudatque cohortem,
solem Asiae Brutum adpellat stellasque salubres
adpellat comites excepto Rege.

Ep. 1, 7, 25

quodsi me noles usquam discedere, reddes
forte latus, nigros angusta fronte capillos,
reddes dulce loqui, reddes ridere decorum.

Cf. Ep. 1, 1, 95. 97. Ep. 2, 2, 20

dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
talibus officiis prope mancum.

et ibidem 133

comis in uxorem, posset qui ignoscere servis
et signo laeso non insanire lagenae,
posset qui rupem et puteum vitare patentem.

Quamobrem his quidem argumentis non tantum damus, ut versum destitui velimus, quo deleto oratio pulchre concinnata insigniter depravetur; neque magis eo argumento movemur quo Meinekii rationes confirmatum ivit Hauptius: qui profectus a Lachmanni sententia, Meinekio quoque magnopere probata (praef. p. XXIV), qua is negabat Horatium versus suos nisi certi consilii causa iterare, quoniam nostro similis versus alibi legitur loco necessario, repetendi autem consilium nul-

lum apparet, ad illius exemplum hunc nostrum a sedulo lectore fictum esse fidenter posuit (cf. Chr. Belgeri librum de M. Hauptio p. 268). Nam ut mittamus non simplex supplementi genus esse quo hanc orationem auctam esse volunt, ne nostro quidem loco versum culpatum inutilem esse et supervacaneum demonstrare studuimus, similitudo autem inter duos ea est, quae ut facile fugere legentem nisi si quis hoc agat, ita vel imprudenti poetae invito subnasci potuerit. In epistola enim decima quarta haec dicit de se

quem tenues decuere togae nitidique capilli,
quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci,
quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
35 cena brevis iuvat et prope rivum somnus in herba.

In nostra autem epistola

potores bibuli media de nocte Falerni
oderunt porrecta negantem pocula, quamvis
93 nocturnos iures te formidare tepores.

Et Horatium etiam inconsulto in similes dicendi formas labi praeter ea quae infra afferimus vel illa docere possunt quae in ep. 1, 19, 11 leguntur

nocturno certare mero, putere diurno,

collata cum art. poet. v. 269

nocturna versate manu, versate diurna.

Lachmannus autem de iteratis apud Horatium versibus quid senserit ambiguum est: qui cum a. MDCCCXLVI in carmine octavo libri quarti versum unum ex altero Horatii carmine translatum doceret, scripsit *denn Horaz wiederholt seine Worte* (sic) *nicht ohne Anspielung* (opusc. 100), sed idem in disputatione anno proximo superiore edita cum eundem versum insiticium esse affirmaret utpote ex simili alterius carminis versu fictum, hoc addidit, multis rationibus probabile esse, Horatii carmina *praeter sermones et epistolas* addendo potius quam omittendo depravata esse (op. 96). Unde videri possit illam de iteratis sententiam ultra carmina valere noluisse. Verum utut hoc diiudicatur (neque nos nunc in carmina inquirimus), in satiris et epistolis, si quid his duobus locis disceptandis profecimus, non iam licebit, si qua gemina sine manifesto consilio occurrant, ob illam rationem repetitis verbis interpolationis notam inurere. Quin iterationis causa vel ea ferenda censemus quae ubi iterata leguntur non sunt ad absolvendam sententiam necessaria, sed apta sunt et consentanea: quis enim in poeta non ferat etiam aliquid decentis luxuriae? Quod genus est Sat. 1, 2, 13.

hunc si perconteris, avi cur atque parentis
praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,
omnia conductis coemens obsonia nummis,
10 sordidus atque animi quod parvi nolit haberi,
respondet. laudatur ab his culpatur ab illis.

Fufidius vappae famam timet ac nebulonis:
quinas hic capiti mercedes exsecat atque
quanto perditior quisque est, tanto acrius urguet.

Sic haec Meinekius edidit de Hauptii mente; neque quidquam desideratur in sententia, sed tamen ne aucta quidem versu quem libri habent displicere possunt.

12 Fufidius vappae famam timet ac nebulonis,
— dives agris, dives positis in fenore nummis:
14 quinas hic capiti mercedes exsecat —

Nam et recte Fufidius dives homo appellatur neque inepte ratio divitiarum duplex indicatur, quo modo Sat. 2, 3, 184 oratione simili sed in sententiam contrariam coniunguntur

nudus agris, nudus nummis, insane, paternis.

Immo interiecto versu 13, qui ad Fufidii nomen referri rectius quam cum proxima sententia in vim concessivam connecti videtur, commodius paulo quam eodem omisso oratio a pronomine *hic* (14) ordiens Fufidii rationem qua nebulonis famam vitare studet persequitur. Atqui idem versus in arte poetica legitur

ut praeco ad merces turbam qui cogit emendas,
adsentatores iubet ad lucrum ire poeta,
dives agris, dives positis in fenore nummis;

ubi cum abesse non possit, ne bis eadem Horatius nullo cum consilio dixisse videatur, ex arte translatum iudicant in satiram. Sed qui nullo decreto occupatus utrumque locum ponderaverit et hoc imprimis inquisiverit, quoniam idem versus bis recurrit, utri eorum locorum primo accommodatus fuerit, cum in arte poetica poeta dives designetur sed ut genus divitiarum nihil ad rem pertineat, in satira autem de fenore et feneratore agatur, probabilius esse fatebitur, ex satirae sententia natam istam versus formam esse, sed eandem, quia poetae in mente haerebat, missa feneratoris notione, ad divitem poetam denotandum adhibitam. Ita si origo horum versuum geminorum recte explicatur, quamquam concessimus in satira versum non flagitari, tamen retinebimus ut verum nec interpolatoris manum agnoscimus, quem quid maxime moverit, ut versum ex arte poetica in illum locum transferret non facile dispicitur.

Restat unus versus qui quia duobus locis legitur altero secludi solet. In epistola enim prima haec scripta sunt in libris

'o cives, cives, quaerenda pecunia primum est,
virtus post nummos:' haec Ianus summus ab imo
prodocet, haec recinunt iuvenes dictata senesque
— laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.

Ex quibus Meinekius in utraque editione versum 56 delevit, quippe quem 'male sedula manus ex Sat. 1, 6, 74 in hunc locum transtulerit.' Meinekium secutus Hauptius (apud Belgerum l. c.) versum istum in epistola absurdum esse affirmavit

usus que est eo quoque exemplo ut Lachmanni de iteratis apud Horatium sententiam argumentando fulciret. In satira autem unde illum petitum arguunt haec leguntur

71 causa fuit pater his, qui macro pauper agello
noluit in Flavi ludum me mittere, magni
quo pueri magnis e centurionibus orti
— laevo suspensi loculos tabulamque lacerto
75 ibant octonis referentes idibus aera.

Et hinc quidem planius perspicitur, quid sibi illa verba velint, quibus in satira videmus speciem puerorum in ludum itantium depingi. Neque credibile est verbis iisdem non eundem utrobique sensum subesse. Quare aut hic sensus quem satira declarat necesse est epistolae aptetur aut si hoc fieri non potest reiiciendus est versus. Atqui in epistola, si verba sequimur et illa reminiscimur quae ep. 1, 18, 13 leguntur *sic iterat voces .. ut puerum saevo credas dictata magistro reddere,* hoc dicit Horatius, quae Ianus veluti ludi magister prodoceat ea puerorum instar magistro dictata reddentium iuvenes et senes recinere. Quam sententiam damus integram esse sive additur versus 56 sive omittitur: quippe simile a pueris dictata reddentibus petitum inest in v. 55. Sed tamen versus 56 cum notam legentibus puerorum in ludum cursitantium imaginem felicissime expressam teneat, non inepte addi videtur, quo et simile illud extollatur et maiore cum ludibrio iuvenes et senes Iani sapientiam ut dictata recinentes puerorum more elementariorum se gerere dicantur. Haec autem verba *laevo suspensi loculos tabulamque lacerto*, ne quis particulam comparativam desideret, appositi loco ad *iuvenes senesque* addi putamus, quemadmodum Horatius scribit ep. 1, 2, 42 *qui recte vivendi prorogat horam, rusticus exspectat dum defluat amnis,* aut 2, 2, 98 *caedimur et totidem plagis consumimus hostem lento Samnites ad lumina prima duello.* Itaque cum sic interpretanti consilium quoddam additi versus appareat neque in oratione sit quod vituperetur, nos ne hic quidem probabilius habemus a male sedulo verba ex satira in epistolam invecta quam eadem ab Horatio ipso utroque loco posita esse: quem quidem nunc non temere et imprudentem in eandem orationis formam incidisse, sed et ipsum memorem fuisse versus olim facti et eiusdem memores esse voluisse legentes existimamus.

His potissimum rationibus ducti quattuor illos versus, quos Hauptius iam in prima Horatii editione uncinatos dederat, nos quartum libello recognito nota liberavimus. De universo autem genere iteratae apud Horatium orationis ita sentimus, si quis hoc agere studioseque totam materiem exhaurire velit, evidenter probari posse, Horatio quamvis politissimo poetae idem quod aliis poetis accidisse ut insciens nonnumquam in easdem vel similes dicendi aut sentiendi formas rationesque laberetur, neque hoc in carminibus minus quam in satiris aut epistolis. Itaque nimius fuit Lachmannus cum negaret Horatium nisi cum certa ratione iisdem verbis plus semel usum esse. Sed nos hoc aliis peragendum relinquimus:

unum etiam exemplum nec hac sola de causa afferimus. In his enim quae scripsit Sat. 2, 1, 64

detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
cederet, introrsum turpis

et Ep. 1, 16, 44

sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
introrsus turpem, speciosum pelle decora

quaedam insignior sententiae et orationis similitudo agnoscitur, simul illud Horatium, ut erat etiam sonorum felicissimus artifex, quem vel talia produnt

quae caret ora cruore nostro C. 2, 1, 36
qui rore puro Castaliae lavit
crines solutos C. 3, 4, 61 (cf. 4, 6, 26)
o laborum
dulce lenimen mihi cumque, salve,
rite vocanti C. 1, 32, 14,

cum eadem bis poneret non sine subtili soni cura *introrsus turpem* sed *introrsum turpis* posuisse.

v. In satira prima libri primi versus qui sunt paene extremi Hauptius cum primum Horatii carmina a se recognita edidit a. MDCCCLI ad hunc modum adornavit.

illuc unde abii redeo, qui nemo, ut avarus,
se probet ac potius laudet diversa sequentes,
quodque aliena capella gerat distentius uber,
tabescat, neque se maiori pauperiorum
turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret,
sic festinanti semper locupletior obstet,
ut, cum carceribus missos rapit ungula currus,
instat equis auriga suos vincentibus, illum
praeteritum temnens extremos inter euntem.

Qua in re quas rationes secutus sit, nunc ex Chr. Belgeri libro intelligi potest, quo is a. MDCCCLXXIX Hauptii virtutem academicam merita laude prosecutus cum alia nonnulla ex eius lectionibus academicis tum horum versuum enarrationem criticam publici iuris fecit. Ibi quae de his versibus Hauptius disputasse narratur, pleraque nobis probantur, unum est de quo videmus ambigi posse. Etenim Hauptius recepta vetustissimi codicis Blandinii scriptura *qui nemo* et versum probum effecit et sententiam recuperavit poetae consiliis egregie convenientem. Qui ab eo orsus ut admirabundus quaereret, qui nemo sua sorte contentus viveret sed omnes aliena potius laudarent, cum in extrema satira intermissam quaestionem repeteret, vix aptiore uti oratione potuit quam quae ex illa scriptura nascitur, quae et ipsa forma legenti initium satirae in memoriam revocet

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
contentus vivat, laudet diversa sequentes?

et eandem quaestionem, qua argumentum satirae continetur, addita causa referat. Cum enim Horatius dicit *qui nemo, ut avarus, se probet*, h. e. Hauptio interprete 'utpote avarus', id quod edocuit ante intelligi voluit, communi hominum avaritia fieri, ut suam sortem nemo probet, omnes appetant alienam. Quae verba quod in negativa parte sententiae posita sunt ('qui nemo utpote avarus se probet'), non vituperabit, qui huius naturam negationis et quam nihil differat a contraria affirmatione perpenderit;*) neve quis obiiciat illa sententiae conformatione causam quae quaeratur ipsi esse interrogationi immixtam, reputandum est non esse hanc interrogationem, quae responsum exspectet, sed interrogandi forma poetam admirationem exprimere, quasi dicat, 'qui tandem homines adeo stulti sunt ob avaritiam ut suam quisque sortem repudiet, alienam sectetur.' Et haec igitur Hauptius recte perspexit, nec fugit eum comparationem a curribus petitam quae versibus 114—116 exponitur non cum verbis *sic festinanti* (113) coniungi, quae vulgo in unam orationem connecti solent: *laboret. Sic festinanti semper locupletior obstat, ut, cum carceribus* cet., sed comparationem istam redire ad superiora (111) *neque se maiori pauperiorum turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret*, cui sententiae bipartitae accurate sed inverso ordine respondent quae gemina sunt in comparatione *instat equis auriga suos vincentibus, illum praeteritum temnens extremos inter euntem.* Itaque ut haec quae sensus seiungi vetat oratione coniungerentur, Hauptius, probata quae est in paucis codicibus scriptura *obstet* (113), hoc enuntiatum prioribus ita adnecti voluit, ut uno ordine omnia pronomine interrogativo regerentur: 'qui nemo se probet ac potius laudet diversa et tabescat quod aliena capella distentius gerat uber neque se maiori pauperiorum turbae comparet sed hunc atque hunc superare laboret, sic festinanti semper locupletior obstet.' Hoc illud est quod unum nos dubitare diximus quam probabiliter statuatur. Cum enim reliqua enuntiata omnia sua sponte in unam coeant comprehensionem, hoc extremum et ob mutatam orationis formam a ceteris secernitur, et sententia non tam prioribus aequabilis accedere quam proximae adnectere rationem videtur: 'hunc atque hunc superare laborat, quando quidem sic festinanti numquam deest quem superare cupiat.' Quamobrem *obstat*, quod fides memoriae tuetur, retinendum, sententiam autem a prioribus segregatam parenthesis vicem obtinere existimamus, qua interiecta nihil impedit quo minus comparatio iis adhaerescat quibus debeat. Itaque orationem sic interpunximus:

---

*) Non sine fructu hoc nomine contendentur quae Xenophon scribit in historia graeca 2, 2, 3 *ἐκείνης τῆς νυκτὸς οὐδεὶς ἐκοιμήθη, οὐ μόνον τοὺς ἀπολωλότας πενθοῦντες ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἔτι αὐτοὶ ἑαυτούς.*

illuc unde abii redeo, qui nemo, ut avarus,
se probet ac potius laudet diversa sequentes,
quodque aliena capella gerat distentius uber,
tabescat, neque se maiori pauperiorum
turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret
(sic festinanti semper locupletior obstat),
ut, cum carceribus missos rapit ungula currus,
instat equis auriga suos vincentibus —

De interiecta sententia conferri potest quod Horatius scribit Sat. 1, 6, 57

ut veni coram, singultim pauca locutus
(infans namque pudor prohibebat plura profari)
non ego me claro natum patre —
sed quod eram narro.

Nam nostro quoque loco addi particula causalis potuit: 'hunc atque hunc superare laborat, nam sic festinanti semper locupletior obstat.' Neque inutiliter haec adiecta sunt: cum enim inter se opponantur *neque se maiori pauperiorum turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret,* claudicare contrariorum ratio videtur, quae hoc requirit 'non pauperioribus se comparat, sed hunc atque hunc qui locupletior est superare studet.' Scite igitur poeta interposito enuntiato hoc quoque assecutus est ut hac parte superior sententia suppleretur. De comparatione a curribus et spatiis ducta, quod genus poetis Romanis inde a Q. Ennio in deliciis fuit, nonnulli viri docti ita iudicarunt, ut quia hi sunt apud Vergilium versus (in extremo primo georgicon)

hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum,
vicinae ruptis inter se legibus urbes
arma ferunt, saevit toto Mars impius orbe;
ut, cum carceribus sese effudere quadrigae,
addunt in spatia et frustra retinacula tendens
fertur equis auriga neque audit currus habenas

Horatium ab horum versuum imitatione pendere existiment editique ab Horatio satirarum libri tempora ab hoc termino deducant. Nos et de hac et nonnullis aliis quas credunt imitationibus Horatianis aliter sentimus, de qua re tum accuratius dicemus, cum quaestionem quae est de editis ab Horatio satirarum libris ut oportet a capite repetemus.

Scr. m. Novembri a. MDCCCLXXXV.